



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Maximus Martyr. 30. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

crucem Christi. Si in hac vita Rotas velis, cave, nam brevi marcescit earum decor, earum vero spina eternum pungent. *Difficile, imò impossibile est, ut quis presentibus & futuris fruatur bonis.* Hieron.

3. Assiduâ Dei presentis cogitatione tentationes omnes vicit. Diligenter meditabatur passionem Christi, damnatorum cruciatus, & humane conditionis vililitatem, quibus munita cogitationibus, nec hominum persecutionibus, nec tentationibus Dæmonum movebatur. Cogita Deum presentem, meditare eternas veritates, & nihil hoc in mundo aut timebis, aut desiderabis. Solùm de terrenis cogitas, quia ponis spem tuam in solis terrenis. *Esset in celo cor & animus, si in celo esset thesaurus.* Euch.

S. MAXIMUS Martyr.

30. Aprilis.

*Quod in presenti est momentaneum
& leve tribulationis nostræ, supra
modum in sublimitate æternam
gloria pondus operatur in nobis*

Corinth. c. 4.

Optimus, falsissimâ nomenclaturâ, cum pessimum mores demonstrarent, Asia Proconsul fuit, qui Ephesi sub Decio imperatore Christicolæ vexare primò aggressus, ante

ante omnes manus in civem quendam de plebe iniecit, irritatus, quod palam ille se Christianum jactaret. A capto quaesitum cum esset, cuius nominis conditionisque esset? MAXIMUS respondit, vocor quidem, sed conditione, quamvis ingenuus sim, minimum me Christi servum profiteor. Et Decii nostri decretum instat iudex. Novi, inquit, sacrifico tamen nisi Vni Deo; quod si piaculum, reum in potestate me habes. Aut sacrificas, ait iudex, aut morieris. Ego vero id opto, infert MAXIMUS; mortem non timeo, nec tormenta me terrent, idololatrias autem aeterni manent cruciatus. Haec verborum libertas ita bilem Praesidi movit, ut fustibus primo, deinde equuleo in Martyrem saxiri iusserit; demumque urbe eiectum, cum constanti praeconio Deum laudaret, lapidum procellam obrui ac sepeliri mandavit, anno post Christum CCLIV. Tu, si placet, heteroclyto huic actui Epigramma adscribe:

Hic occidit MAXIMUS Martyr,
Quem occidit Optimus Tyrannus.

Ex Baronio.

MEDIT

MEDITATIO

De mercede laborum nostrorum.

1. **L**eve est, quod in praesentia patimur ad paratam nobis mercedem: aut faciles sunt, aut breves labores huiusmodi; si enim acres sunt, non sunt diuturni; si diuturni, non acres: interdum remittit quilibet dolor, & mitigatur. Ad summum labores, & dolores nostri, brevissimam vitam nostram aequare possunt. *Quidquid finem habet, breve est.* Aug.

2. Quae nos manet in caelo merces, aeterna est duratione, infinita magnitudine, universalis amplitudine. Nullus dolor, fastidium nullum, nullus timor laetitiam, & gaudium nostrum temperabunt. Quid amamus terrenas delicias? Cum is amor impedit, quod minus caelestibus fruamur. Quid timeamus tolerantiam ac labores, cum his aeternam nobis comparemus felicitatem? Unum Deum desideremus, nam ipse est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Aug.

3. Solam cogitationem aeternitatis, solam spe divinae fruitionis, vel in hoc mundo laeti vivere debemus. Haec cogitatio gloriosam Martyribus victoriam, hilarem vero patientiam, ac perseverantiam poenitentibus dedit. Non semper flebimus, non semper patiemur. *Parentes nostri (ait Euch.) transierunt, nos abimus, posteri sequentur: Sed aeternitas semper manet.*

ad IVS.